

Werk

Titel: Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

Autor: Bakius, Reinhardus

Verlag: lungius; Schmidius

Ort: Lübeck; Schleusingae

Jahr: 1640

Kollektion: VD17-nova

Werk Id: PPN616188471

PURL: http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471|LOG_0022

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de

Dominica Septuagesimæ,

Evangelium, Matth. 20.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exiit primo sta-
tim diluculo, ad conducendos ope-
rarios in vineam suam. Conven-
tione autem factâ cum operariis in singulos dies
denario, misit eos in vineam suam, Et egressus
circiter horam tertiam, vidit alios stantes in foro
ociosos, Et illis dixit: Ite Et vos in vineam, Et
quodcumq; iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem
abierunt: Rursum autem exiit circiter sextam Et
nonam horam, Et fecit similiter. Circa undeci-
mam vero exiit, Et invenit alios stantes ociosos,
ac dixit illis: Cur hic statis totum diem ociosi? Di-
cunt ei: Quia nemo nos conduxit: Abite Et vos in
vineam, Et quicquid fuerit iustum, accipietis.
Cum autem vespera facta esset, dicit Dominus
vineæ Procuratori suo: Voca operarios, Et redde
illis mercedem, incipiens à postremis usq; ad pri-
mos. Et cum venissent, qui circa undecimam ho-

Zzz ram

ram venerant, acceperunt singuli denarium. Venerantes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, & acceperunt ipsi quoq; singuli denarium. Et cum accepissent, murmurabant adversus Patrem familias, dicentes: Hi novissimi unam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis fecisti, qui portavimus pondus, dici & astum. At ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum est, & abi, Volo autem huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere in rebus meis? An occlusus tuus malus est, quod ego bonus sum? Sic novissimi erunt primi, & primi novissimi. Multe enim sunt vocati, pauci vero electi.

ECC est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Johan. 17. v. 3. Quibus verbis dulcissimis sanè, ut vita eterna assignatur veræ veri Dei agnitioni, ita extra omnem dubitationis aleam possum est, ejusmodi agnitionem nullibi reperiri, quam in unicâ illâ Spiritus S. officina, Ecclesiâ, cum veru ille Deus notus sit in Iuda, & in Israël magnum nomen ejus, tabernaculum ejus in SALEM, & habitatio ejus in Sion. Psal. 76. v. 3. quam necessaria itaq; est Christiano vera veri Dei ejusq; filii agnitione, tam necessaria etiam illi est, cognitio veræ Ecclesiæ, secimmo; Ut enim liberorum est utrumq; parentem nosse, ita etiam Christianis incumbit agnoscere, non modo Deum Patrem, sed & Eccl.

Ecclesiam matrem. Et profectò facilis hic lapsus est, quoties enim agnoscitur pro molosso lupus? pro anguilla serpens? pro apio cicuta? quoties venditatur & venditur æs pro auro? stanneus candor pro argento? vitrum pro Smaragdo? Crystallus pro adamante? quas non dedit turbas Smerdis, alicujus rustici vel Pastoris filius, quando se filium regis Cyri Smerdem simulabat & pro rege habebatur? *Herod.lib.4.* Ut itaq; & Nos ad veram veri Dei ebusq; filii agnitionem perveniamus, nec *Satana Synagogam* pro vera Ecclesia apprehendamus, pulchre, circa hoc anni tempus, CHRISTUS Servator Ecclesiam suam depingit trinâ Parabolâ, de Zizaniis, de Vineâ, ut & de quadruplici agro. Prius simile vidimus, pergam ergo ad secundum. ¶ *II. Tempus ridendi est, & tempus flendi,* inquit Salomon, Eccles. 3. v. 4. equidem in triumphante illa & cœlesti Ecclesiâ omnia semper læta sunt, nec illius fines ulla invadere tristitia unquam potest: Contra in inferni barathro & carcere omnia semper funesta sunt & tristia, omnis lætitia prorsus ignara: Sed in medio hoc Ecclesia globo ita, & divina aequitas, & pia ac *devota antiquitus* instituit, ut non semper læta transcentur, nec semper tristia, sed mæstis læta permisceantur. Lætissima sanè hæc tenus mysteria Ecclesia nobis proposuit, videlicet nascentem de virgine Christum; cantantes & lætum Evangelii, nuncium propagantes angelos; stellam mirabiliter fulgentem; Magos adorantes; Simeonem exultantem; Hannam tripudiantem, &c. ut sic verè hæc tenus *ridendi* fuerit *tempus*. Deinceps vero omnia erunt tristiora, & *bac ipsa Dominica* respicere Ecclesia incipit, ad luctuosum illud *flendi tempus*, quod aget de acerba Christi Servatoris passione & morte. Hinc dies hod. dicitur: *Septuagesima*, quia ab hac Dominica usq; ad Pascha sunt dies, vel *Septuaginta*, vel ferè *Septuaginta*, hoc est, 64. Hinc dies Dominicam hanc sequentes, dicti olim sunt: *Dies observabiles*, juxta illud: *Dies absoluti prætereunt-dies observabiles redeunt-tempus adest sobrium-corde queramus Dominum.* Hinc præsens anni tempus à nonnullis Germanis dicitur; *Die gebündene Zeit/darin Niemandt lose sich gürten solle/ ubi omnis dissoluta vita fugienda.* Hinc, sub Papatu, hodierno die, omnia Altaria, in nescio quod tristitiae ac luctus signum, velantur, læta illa vox *Allelujah* intercluditur, & Missa his inchoatur: *Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumcederunt me: Cum itaq; per Dei gratiam hæc tenus absolverimus letum, illud ridendi tempus, incipiamus hodie luctuosum illud flendi tempus, nosq; paulatim ad Christi passionem ac mortem præparemus.*

Exord. 23

Exord. 3.

¶ III. Esaias Propheta cantaturus dilecto & patrueli suo (Dn. Messia) præclarum aliquod Canticum, exordium facit tale: *Cantabo dilecto meo Canticum, de Vinea patrueli mei. Plantavit dilectus meus Vineam in monte fertilissimo; sepivit eam; lapidum acervis munivit eam; vitibus nobilissimis conseruit eam; adificavit turrim in medio ejus; & torcular exstruxit in ea, & expectavit ut uvæ ferret, & tulit labruscas.* Nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda judicata inter me & vineam meam, quid est quod ultra debui facere vineam meam, & non feci ei? Quod Canticum Propheticum ut rectè intelligas, traditur Amos Esaiæ pater fuisse frater Amasis Regis Iuda, cuius cum in Genealogia Christi mentio fiat, Matth. 1. utiq; per Esaiæ patruellem intelligetur Dominus Messias, cuius Vinea est Ecclesia, vinea quam ipsa Dei dextera plantavit, Psal. 80. v. 16. Sepimentum hujus vineæ est fortissima protectio Dei nostri gloriosi, qui in circuitu Ecclesiæ suæ est murus igneus, Zach. 2. v. 5. *Acervi lapidum*, quibus vinea hæc munita, custodia est sanctorum angelorum, qui castra metiuntur circum eos, qui Dominum timent & eripiunt eos, Psal. 34. v. 8. nobiles hujus vineæ vites sunt omnes Christiani, qui Christo, ut palmites inseruntur, qui crucis cultro vulnerantur, qui bacello verbi divini alligantur, & de quibus ipse Christus: *Ego sum vitis vera, vos autem mei palmites*, Joh. 15. *Turris in medio Vineæ Christi exstructa, est vel paterna Dei providentia, quæ omnia contuetur, vel Ministerium Ecclesiasticum, in tam alta constitutum specula, ut Ezechiel domus Israel vigil nominetur*, Ezech. 33. & alius quidam dicit: *Sto super speculam meam, & figo gradum super munitionem meam, & contemplabor & videam, quid dicatur mihi*, Habac. 2. v. 1. Tandem torcular in vinea Messia est cruentum & sufficiens Christi meritum, de quo ipse: *Torcular calcavi solus, &c.* Esa. 63. En tibi vineam dilecti nostri fidelissimè sanè plantatam, unde & propheticum hoc Veteris Testamenti Canticum de Vinea, hodierna Domin. quasi repetit Ecclesia N. T. *in nostro textu* itidem enarrans, quomodo hodieq; Deus pater insigni cura & industria Vineam Ecclesiæ adficet, quomodo pro uis adhuc labruscas non raro legat, adeoque tota hod. Evangelii summa sit antiquum illud: *Nunc ergo habitatores Ierusalem & viri Iuda judicata inter me & vineam meam, quid est quod ultra debui facere vineam meam & non feci ei?* ¶ IV. Fortè etiam exordium satis commodum supeditabit summa hod. Evangelii *prestantia*, cum illud Lutherus in Postill. *domest. nominet: Ein scharfes Evangelium / acutum utique ob acutas tum.*

Exord. 4.

tum Pontificiorum de denario, tum Calvinianorum de prædestinatione, tum Huberi, de universalis electione disputationes, quas tamen præfectas & rejectas cupit Dn. Philippus Mel. dicens: *Magna sunt disputationes de isto textu, sed non opus est argutius illarum disputationum, si volumus querere veritatem, & ea quæ conducunt ad edificationem h.e. ad timorem Dei, ad fidem & ceteras virtutes.* Multi negligunt illa, quæ sunt principalia, & curiose inquirunt nrae & jo, sed animi ad principalia sunt revocandi. Dñs Evangelium ist an sich selbst ein leichte Evangelium / ist aber durch mancherley Glossen vnd Disputationen schwer gemacht vnd sehr verdunkelt worden/ Saccus. Dn. Simon Pauli nominat hoc textū; Ein herrlich vnd gewaltig Evangelium/ quod juxta Chemnit. Harm. c. 132. p. 238. contineat locos de Ecclesia: de lapsu & reparatione generis humani: de justificatione: de electione: de fide: de bonis operibus: de novissimo iudicio: de vita eterna: de rejectione reproborum, &c. Talia & alia cum præsens parabola suscipiat, potest quidem de eis quis dicere, digna autem hic dicere est nullius, nisi ejus qui dixit: Nos autem sensum Christi habemus (I. Cor. 2. v. 16. 7. v. 40.) Origen. hom. 10. in Matth. fol. 25.

Simile est regnum cœlorum patrifamiliās.] Grana-
tensis hic per regnum cœlorum intelligit totum salutis nostræ negotium, unā cum omnibus, quæ ad illud pertinent, pertinere autem dicit & hu-
jus vitæ gratiam & futuri sœculi gloriam, atque sic hoc ageretur loco, de Ecclesia non tantum militante, sed & triumphante, quod similiter Mal-
donatus & Iansenius c. 101. concord. statuunt, sed falso, cum in futuri se-
culi gloria murmur non habeat locum, juxta illud Ardentis: *in cœlestem
patrīam nullus murmurans intrabit, nec intrans murmurare poterit.* Aretius
intelligit per regnum cœlorum professionem Evangelicam, Marlora-
tus regem cœlorum Messiam, qui similis sit vineam plantanti: sed
Gloss. Interlin. rectè dicit: regnum cœlorum, h.e. præsens Ecclesia, velut
Lyra: *status Ecclesie militantis.* Conferunt autem gratia regnum Christi
patrifamiliās, Græc. ἀνθρώπῳ οὐρανῷ, homini patrifamilias, Syrus:
*Viro Domino domūs, & intelligit Theophil. hic Christum, qui homo dicatur ob assumtam carnem, Paterfamilias vero, ob dominium in Ecclesiæ
economian: sed rectius per οὐρανῷ intelligitur Deus noster glo-
riosus, essentia unus, personis trinus, qui homo dicitur, ob summam er-
gà homines φιλanthropiæ, licet alias non homo, Ose. 11. Paterfamilias au-
tem dicitur, quia dicente Gregorio, possidet electos in mundo, ut Dominus
subditos in domo; vel ut Lyra: *quia gubernat totum mundum, sicut paterfami-**

Vero Deus pa-
ter familias.

lius domum, in qua suos (1.) progenerat, (2.) alit, (3.) informat, (4.) gubernat, juxta illud: Tu qui perpetuâ mundum ratione gubernas. ¶ Observa itaque hic rectissime Deum vocari οἰκοδεσπότην; Et si rechter Haushalter vnd alter Haushvater/von dem die Lehre empfahen müssen / alle gute Haushväter so heilsamlich Haushalten wollen / hinc scriptura trinam huic patri-familias assignat Oeconomian, quarum una est *supra nos*, & administratur per severam justitiam: tertia est *circa nos*, & administratur per immensam misericordiam, in superiori quasi contignatione sunt triumphantes ob gloriam; in inferiori ejulantes ob iram; in media militantes per gratiam: superius *Vici-*
tores, inferius *Victi*, hic vero milites habitant, Chrys. hom. 34. oper. imper-
fect. præsertim vero in hoc gratiæ regno, qui non οἰκοδεσπότης esset
Deus noster, annon habet Domum suam Ecclesiam? I. Tim. 3. v. 19. do-
mesticos suos? Eph. 2. v. 15. Oeconomos suos, I. Cor. 4. v. 1. &c. Adeoque
gravissime hic confutantur illi, qui Dei providentiam negant & ipsum
res humanas non curare dicunt, ostendit enim hic Dominus, quod sicut aliquis
pater familias sollicitè providet vineæ, ne nimis indurescat, inherbetur, ne amittat
tempus putationis & reputacionis sua: Ita ipse à principio est curiosus super Eccle-
siam, ne nimis indurescat, ne vitiiis occupetur, ne amittat curam predicationis &
comminationis: quod interreno patrefamilias habendis facit cupiditas, hoc in Deo
facit charitas, quod in homine facit amor lucri, hoc in Deo facit amor nostri.
Ardens.

Qui summo manè exiit] ἀρια πεπώ, post primum galli-
cium, paulò ante solis ortum, forte circa tertiam & quartam nostram
matutinam, tunc exiit paterfamilias; & exire ejus nihil aliud est quam
innoscere, juxta August. serm. 59. de verb. Dom. Ut enim qui in domo est,
in abdito est, & non videtur ab illis qui foris sunt: Sie Deus quando non agnoscitur
in secreto est, quando autem intelligitur, tunc exiisse dicitur, quia ex occulto
in notitiam processit, exiit non per loci mutationem, sed per bonitatis suæ in crea-
turæ effusionem, Lyra. Exiit ergo Deus Pater nostri miserendo & filium
mittendo, I. Johan. 4. v. 20. exiit Filius nascendo & carnem assumendo,
Galat. 4. Johan. 16. v. 28. Luc. 10. v. 6. exiit Spiritus S. per verbum ad nos
loquendo, Heb. 1. v. 1. Vel, juxta fidei articulos: Exiit pater per *Creatio-*
nū τέρατον, Filius per *redemptionis αὐτεον*, Spiritus S. per *sanctificationis χριστί-*
μάτον, hodie exit cœlestis Paterfamilias per pedes evangelizantium,
Esa. 25. ¶ Observa hic informationem domesticam eamque gemi-
nam

nam. I. Est, quod oculus Domini verè saginet equum, & sumus ex partis familias calcibus resultans, sit sumus agri optimus, ideo noster oīng-
 saginat equum.
 Διαώρησις suo quidem Procuratori quædam commitit expedienda,
 ipse autem egreditur & operarios ipse conductit: sic Isaac ipse seminat,
 Gen. 26. Noah vineam ipse plantat, Gen. 9. Boas messores ipse visitat,
 Ruth. 2. Saul ipse arat, 1. Sam. 11. Gedeon ipse triturat, Jud. 6. Eliša aratrum
 ipse sequitur, 1. Reg. 19. Sic Manasse Judith maritus in agro est, Judith. 8.
 Sic Sunamitidos vir satis opulentus in agro tamen est, & filium suum secum duxit, 1. Reg. 4. Sic Furius Cresinus, obmirandam agrorum suorum
 fertilitatem, apud senatum Romanum ut veneficus accusatus, ligones
 adduxit, & vomeres, & boves & filiam suam robustam, cum qua agrura
 ipse coluerat, dicens: Quisrites, veneficia mea haec sunt, nec possum vobis monstrare sudores & labores meos, quos alii ingentes viderent, & sic absolutus est.
 Idem faciant omnes ii, qui titulo Patrum familias, cum honore, uti volunt,
 Dein eigen Hand dich nehren sol / Ps. 128. Selbst ist der Mann /
 wo einer selbst nicht hinkommet/da wird ihm der Kopff selten rechz gezwungen/
 get/dicunt Germani, & bellè Lutherus:

Sic here servus agens, hera tu sis serva ministrans,

Rite tuam si vis adificare domum:

Nam quod servitium servi servaq; capessunt

Non est servitium, sed magis exitium.

Der Herr muß selber seyn der Knecht /

Wil ers im Hause finden recht /

Die Frau muß selber seyn die Magd /

Wil sie im Hause schaffen Rath / c.

II. Paterfamilias noster non est homo nihil, qui in domo velut
 ambra vagetur, & suorum negligens securus genio indulget, sed cu-
 bitu surgit primus, cubitum abit postremus, omnibus patribus familias
 exemplum præbens, ut manè surgant & rem suam familiarem current ac
 augent. Matutinæ enim horæ non tantum aptæ sunt precibus, studiis
 & sacris, sed etiam omnibus operibus, die Morgenstund hat Gold ins
 Mund. Hinc veteres matutinis horis consecrarunt sua sacra, suas deli-
 berationes & graviora negotia. Quando rustici demum circa meri-
 diem ad servitia sua veniunt, raro nobiles agri in flore stant, der Acker-
 Mann muß seyn ein Wackermann / sicut ostium vertitur in cardine,
 sic piger in lecto, Prov. 26. vers. 14. Ut ergo ostium in cardine nihil

Aurora rebus
 agendis anima.

pre-

promovet, sic *Domilius* manet Joannes in eodem. Nihilo meliores sunt, qui diem in noctem & noctem in diem commutant, sicut Heliogabalius interdiu vel comessabatur vel dormiebat, noctu seria tractabat, contra Dei ordinem, *Psal. 104. v. 23.*

Ad conducendos operarios.] *ēgjātūs*, mercenarios, ubi quidem Lyranus *Pralatos* intelligit & *Doctores* ad prædicationem à Deo missos: sed non soli hi dicendi operarii, cum tales sint omnes omnino Christiani in quovis statu viventes; Die Arbeiter sind ins gemein alle Christen/ sie seyen wes Standes sie wollen/ Geist- oder Weltliches/hohes oder niedriges/denn jeglichem Christen ist sein Stand vnd Beruff sein Weinberg/worinn er Gott vnd seinem Mechstien dienen sol/ operarii sunt prædicatores & quilibet fideles, qui sua vel aliorum corda colunt, ut Deo fructificare possint. Non itaque otiosos sed negotiosos Christianos vult cœlestis ille *oīgdearbns*, maledictus enim qui opus Domini facit fraudulenter, *Jerem. 48.* Et

Non tua vult homines cessantes vinea, Christe,

Præmia fert gratis qui facienda facit.

Miseria hominis post lapsum. ¶ Observa itaque hic I. summam nostram miseriam & calamitatem, quæ ex titulo *Operariorum* satis liquet. Nam ante lapsum Domini eramus, *paradisi possessores* ac rerum omnium: Jam verò post lapsum egeni sumus, mendici & mercenarii *Bernheuter* / *Taglöhner* / *Capitler* / *Schweracken* / c. Vita n.hominis militia est super terram, & dies ejus, ut dies Mercenarii, *Joh. 7.* unde & *Acolastus* ille: Non sum dignus ut vocer filius, fac me ut aliquem tuorum Mercenariorum, *Luc. 15.* Quanta itaque differentia est inter *principem* aliquem *potentissimum*, & inter mercenariorum *vilissimum*, tantum etiam discriminem est inter statum peccati & integritatis, divites eramus totius mundi principes, sed fuitus Tröes, jam miseri sumus, & cœci & egeni & nudi, vñ itaque illis qui dicunt: *Dives sum, sufficiunt omnia nec ullâ re indigo*, *Apoc. 3. v. 17.* ¶ Observa II. Quid nostri sit officii, nemo enim conduit Mercenarium ut manducet tantum; sic & nos vocati sumus ut operemur, non ea tantum quæ ad nostrum pertinent usum, sed potius ad Dei gloriam: Operarius attendit prius opus suum, deinde cibum quotidianum, sic & nos aspiciamus prius quæ pertinent ad Dei gloriam deinde ad nostram utilitatem: Mercenarius impedit totam diem operi, unam autem horam cibo tantum, ita & nos omne vita nostra tempus ad Dei gloriam, modicam autem partem circa usus terrenos: tandem Mercenarius ea die quâ opus non fecit, erubescit intra-

*Non inhiemus
nimium terre-
nis.*

intrare domum & petere panem, quomo^{lo} tu non confunderis intrare Ecclesiam
 & stare in conspectu Dei, quando nihil boni egisti? Chrysost. hom. 34. in
 Matth. ¶ III. Observa, bona opera a nobis nullo modo prohibe- *Bona opera non*
 ri, licet id antiquissimum Papistarum sit mendacium. Certum est in *prohibemus.*
 hodierna parob. conduci, non qui vineam destruant, non qui confa-
 bulentur, non qui terræ glebis se in vicem petulanter petant, non qui
 alius alium in opere impedianc, nec qui uvas tantum vorent, Trauben-
 fresser/sed qui strenuè laborent, unde Operarii dicuntur: pari modò, cum
 Granatensis libenter nos etiam dicimus: Ad hoc vocati sumus, in hoc opus con-
 ducti sumus, hoc munus nostrum, hac professio nostra, ut laboremus. Imò ut vi-
 nearum labor varius est & ferè non infinitus, Man mūs bald rodens/
 bald hucken/bald schneiden/bald binden/bald missten/bald blaten/bald le-
 sen/bald kältern/bald decken / &c. Sic & verorum Christianorum labor
 quantus est? requiritur ab eis labor pénitentia & conversionis; labor precum
 & devotionis, O wie ist das so schwere Arbeit! difficultius orare quam arare!
 labor crucis & afflictionis: labor tentationis: labor agonis: labores vocationis, &c.
 Eant nunc Pontificii & dicant nos: Opericidas, Werkmörder/Eunomii
 & Simonis Magi discipulos, qui eximiam illam sanctitatem omneg^z, bonorum
 operum studium impedianc, Bey welchen es ein lauter Dunst/ein Spiegel-
 fechten/eine Larff vnd lange Maß sey/ so offt wir von guten Werken pre-
 digen; Vlenbergius, Leßius, Decumanus, & qui non? Notanda autem objec-
 tio Stapletoni, qui dicit: Nos non Operarios esse sed FIDESOLARIOS
 & FIDUCIARIOS, cum tamen vita æternæ denarius promissus sit, non
 credentibus tantum, sed operantibus in vinea, h.e. mandata custodientibus,
 ergo operari nos vult Deus, non sola fide aut fiducia nisi, certè Operarii non sunt,
 qui sola fide contenti sunt. R. Nulla (1.) consequentia est, necessariò simus
 non auditores modò legis, sed & factores, Jac. 1. v. 22. Matth. 7.v.21. et-
 gò tales simus ex salutis necessitate, quia necessitas bonorum operum
 longè alias causas habet, de quibus postea. Fraudulenter (2.) opponun-
 tur hīc Credentes & operantes, & putat Adversarius dari posse credentes,
 qui non sint simul operantes, id quod nos negamus, solis radiis confe-
 rentes fidem justificantem, que ubi cunq^z micat, ibi ardorem bonorum ope-
 rum excitat, & nemo verè putatur apud nos in Christum credere, qui à scelerum
 via nolit recedere. Præterea (3.) ipsa fides dicitur opus, Joh. 6. v. 28. 29. &
 40. vocantur ergo operarii non modo ad facere legale, sed & ad facere *Credentes et-*
Evangelicum, εγγαλικον non simpliciter & semper significat bonis operi- *iam sibi Ope-*
rantes.

bus aliquid promereri, sed cursum pietatis sedulò urgere, consentit Hebræum πω� Aſa, fecit, operatus eſt, Flac. clav. ſcript. in voce Operari, ſicq; credentes etiam Operarii ſunt. Sonorā itaq; voce profitemur, eum, qui vera pietatis & charitatis opera parvi facit, Christianum non eſſe: euia verò qui talia prohibet, ex Spiritu Satanæ loqui, quis enim ejus foret audaciæ, ut prohibere auſit, quod Dominus præcepit? quis tantæ impudentiæ, qui parvi pendere, quod Christus maximo commendarit ope? Bona certè opera Christianis maximi æstimanda & NECESSARIA ab omnibus præſtanda Nos afferimus, quod ſi ſemel Jesuitæ dictum non audiunt, ſexcenties ſibi ingeminatum putent. Eſt autem neceſſitas bonorum operum non meritoria & ad ſalutem reſtrictiva, ſed neceſſaria bona opera ſunt, neceſſitate mandati & debiti, Lev. II. v. 44. Luc. 17. v. 10. neceſſitate ordinis & gratitudini, Eph. 2. v. 10. Luc. 17. v. 18. neceſſitate conſcientie & diſſertatione, I. Tim. I. v. 19. Johan. v. 7. neceſſitate pñmii & ſupplicii, Luc. 21. v. 36. I. Tim. 4. v. 8. Sic quidam: Alii autem dicunt neceſſaria eſſe opera, propter Deum: propter nos ipſos: propter proximum: propter Angelos: propter Diabolum, Chemn. part. 3. L.C. Hutterus in F. C. &c.

Concio de vi-
neâ, eſt concio
de Bonis ope-
ribus.

I V. Observa totum Locum de bonis Operibus ex hoc Evang. ita tra-
ctari poſſe, patet enim h̄c (1.) bonorum operum neceſſitas, cum condu-
cantur non otio indulgentes, ſed Operantes, patet h̄c (2.) B.O. qualitas,
cum illa eſſe debeant, non ἡγεμονεῖα & electiſi cultus, qui reje-
cti, Matth. 15. v. 9. Col. 2. v. ult. ſed opera à Domino vineæ præcepta, &
decalogo comprehenſa, fiant etiam à renatis in vinea Domini exiſten-
tibus, quia extra vineam non ſunt fructus, & fine fide i[n]poſſibile eſt o-
pera Deo placere, Röm. 14. v. ult. patet h̄c (3.) debita in exercitio B.O.
affiduitas, non diſferatur vineæ labor, ſed quacunq; hora Deus aliquem
vocat, ſequatur, neſciſ enim, an Dominus ſit redditurus, Psal. 95. v. 8. pa-
tet h̄c (4.) operum verè bonorum magna difficultas, quia juxta ſtylum
hodiernæ parab. in præceptis Domini ſtrenuè ambulare, hoc eſt diei
pondus & aſtum portare, Aēt. 15. patet h̄c (5.) operum verè bonorum ex-
cellens preciositas, cum operantibus Dominus promittat Denarium, h-
e. mercedem temporalem & aternam, non quidem promeritam, ſed ta-
men promissam. Tandem (6.) patet h̄c requiſita in studio B.O. humili-
tas, murmurantes enim & pñmii nimium poſtulantes Dominus reji-
cit & ejicit, ideò ſi omnia fecerimus, ſervos tamen inutiles nos dica-
mus, Luc. 17. v. 10. Harm. Chemn. lib. 5. p. 145. & seq.

In vine-

In vineam suam.] Syrus: pro vinea sua, & intelligunt hic per vineam, Theophil. animam humanam: Athana. mundum: Chrysost. mandata Dei: Nauseas fidem: alii penitentiam: alii aliud. Nos intelligimus Ecclesiam in his terris militarem, adjutilocis, Esa. 5. Psal. 80. Matth. 21. Vinea est universalis Ecclesia, qua à primo justo colligitur ad ultimum, in fine mundi nascendum, Lyra. Sind wir also von Gott berufen/ nicht ins Teufels Thiergarten/vnd Labyrinth/ auch nicht in Circe Sawstall / vnd Venusberg/ auch nicht ins Wein- oder Bier-Spiel- oder Hurhaus/ eo enim Diabolus homines ablegat; Sed in vineam, h. e. in functione honesta, Deo probata vivamus, Prediger sollen im Weinberg Wechter seyn/ Ezech. 3. Regenten sollen des Weinberges Pfleger seyn/ Esa. 49. Haushälter sollen die Neben beschneiden/ mit fleißiger Zuchtstrafe/ Eph. 6. qui libet Christianus habet suam ἐξαριστήν, opificium, munus, occupationem, exercitationem & laborem, quem cuiilibet mons trabunt literæ vocationis & conductoris, h. e. Decalogus. Evidem servis & ancillis non semper in peculiari scheda prescribitur, quid sit munera illorum, sed in decem præceptis omnia, quæ nostri officii, sunt depicta, der Mietzettel hat zwölfne Blätter / primam & secundam tabulam, in priori monstratur quid facere debeamus erga Deum, in altera erga proximum, &c. Nulla autem parabola scripturarum tam familiaris est, quam hæc de vinea: videantur Esa. c. 5. v. 2. & 63. Ieremias, c. 2. v. 21. 12. v. 11. 46. Osee cap. 10. v. 14. Videantur Psalmi, 79. 80. v. 9. 127. Cant. 2. v. 15. Videantur Christi verba, Matth. 20. v. 1. Marc. 12. v. 1. Luc. 6. v. 20. 9. v. 13. Joh. 15. &c. Dass Gleichnuss vom Weinberg ist in der Schrift so gemein / das die H. Propheten gleichsam ein Eiclein draus gemacht haben/wie Deut. 32. Psal. 80. Esa. 5. zu ersehen. Observanda itaq; hic est jucunda collatio Ecclesie cum vinea, in his potissimum consistens. ¶ I. Notetur vinea numerus; Ut enim in hod. parab. unius tantum vinea multoties fit mentio; sic & vera Ecclesia una est, Regina sunt 60. concubina 80. adolescentularum non est numerus, Columba autem mea una, Cant. 6. v. 8. 7. v. 16. 8. v. 12. Sic ager, thesaurus, margarita, rete, Matth. 13. &c. omnia unum: Sic orile, Joh. 10. v. 16. adificatio, Eph. 2. v. 21. Templum, 2. Cor. 6. v. 19. Corpus, Rom. 12. v. 5. &c. omnia unum: Sic in typis, ara, arca, tabernaculum, Exod. 25. v. 26. 27. &c. omnia unum: Joh. 17. v. 11. orat Christus ut sui sint unum, & prima Ecclesia fuit cor unum & anima una, Acto. 4. v. 32. Attendantus itaque ne unitas hæc facile dissuatur, sed inaneat fidei unitas in mente, Eph. 4. v. 3.

Ecclesia vero
vinea, id quod
docet.

I.

Vineae Numero-

Chari-

Charitatis unitas in voluntate, Joh. 13. v. 35. obedientia unitas in intellectu,
Heb. 13. v. 17.

Sint unum, doceant unum, fateantur & unum,
Sint unum, maneant unum, moriantur & unum,
Unum qui Christi nomine nomen habent.

II.
Vinea situs.

¶ II. Notetur vinea situs; in plano enim quid sit vinea nemo facile intelliget, in montibus autem ejus apparet gloria: Sic Ecclesia in hac lachrymarum valle est grex pusillus, Luc. 12. v. 32. pauper & contemnitus populus, Soph. 3. v. 12. justi enim simplicitas deridetur, Job. 12. v. 45. Sed in alto cœli monte quanta Ecclesiæ gloria est; inde ejus membra dicuntur Filii Dei, Joh. 1. v. 12. Fratres Christi, Heb. 2. v. 12. Concives Sanctorum, Eph. 2. Domini Christi, Heb. 3. v. 6. Filii lucis, Eph. 5. v. 8. gens sancta, 1. Pet. 2. v. 9. heredes regni, Rom. 8. v. 17. pupilla Dei, Zach. 2. &c. Rideat proinde mundus veram Ecclesiam, ut Goliath Davidem, nos in præstantia hujus vineæ merito exultamus, Hab. 3. v. 19. ¶ III. Notetur vinea efficacia & virtus; Vinum Deum laetificat & homines, Jud. 9. v. 13. sic Ecclesia recreat (1.) Deum per fidem, Heb. 11. v. 6. ubi uvula: agnitione Dei, timor, invocatio, spes, dilectio, obedientia, patientia, &c. (2.) proximum per charitatem, uia sunt: justitia, misericordia, humanitas, liberalitas, hospitalitas. (3.) Nos ipsos per bonam conscientiam & pacem, tūm internam tūm aternam, Rom. 5. v. 1. Prov. 15. v. 15. Simus ergo veri palmites, non foliarii, non Pampinarii, sed fructuarii, Columcl. I. 5. c. 5. non tantum speciem pietatis habeamus, 2. Tim. 3. v. 5, sed fructus feramus uberes, Luc. 8. v. 8..

III.
Vinea virtus.

In situ ut palmes fert fructus, Christus redemptor;
Sic Nos da verā fructificare fide.

IV.
Vinea cultus.

¶ IV. Notetur vinea cultus; Vinea est locus conclusus, sic & Ecclesia, Cant. 4. v. 12. Vinea non natura sed arte comparatur, sic Ecclesia verbo & Sacramentis, Gal. 3. v. 26. Vinea Soli est exposita; sic Ecclesia habet justitiae solem, Mal. 4. v. 2. Vinea sitit imbreu, sic Ecclesia Spiritus S. gratiam, Psal. 68. v. 12. Sepimentum Ecclesiæ angelorum est custodia, Psal. 91. Turris Ecclesiæ verbi ministerium, Ezech. 33. Fimus Christi sanguis: Ligo legis concio: calor crux: ligamenta fides & Spiritus S. Eph. 4. v. 3. torcular Christi meritum, Esa. 63. Vera uita ipse Christus, Joh. 15. v. 1. &c. Ut ergo Plinius I. 14. N. H. c. 1. tradit, Romæ unam vitem, in Li-
via porticibus, omnes subdiales inambulationes umbrosis operculis opacis-

opacasse, eandemq; vitem duodennis multi amphoris fœcundam fuisse: sic Christus merito suo omnes Ecclesiæ angulos obumbrat, omniaque ejus membra largissimè reficit, unde ejus calix *inebrians* dicitur, Psalm. 23. v. 5. Cant. 5. v. 1. ¶ V. Notetur diversum vineæ tempus. Vinea in hyeme est vastata: in Æstate decora: in Vero frugifera: in Autumno Diversum vi- flaccescens & foliis orba. Sic Ecclesia Hyems fuit, tempore & moschola- nea tempus. trix Israeliticæ, Exod. 32. & Eliæ, 1. Reg. 19. & Pharisæismi, & persecu- tionum, & hærescon, cum primis Arianismi & papatū. Ecclesia Ætas fuit tempore Apostolorum. Autumnus tempore patrum & hærescon in- gruentium, da wurden die Bleitter falsch vnd begunden all mehlich abzufal- len. Ecclesia Hyems fuit sub Papatu. Veri autem convenientia nostra tempora, ubi gemmas protrudit, Cant. 2. v. 15. electa illa vinea, Esa. v. 2. quam ex Ægypto Deus transtulit, Psal. 8. v. 9. quæq; vinum profert me- racissimum, Esa. 27. v. 2. Si ergo Papistæ querunt ubi Lutherana fuerit Ecclesia ante Lutherum? nos vicissim querimus: ubi vites sint & palmites in hyeme? utique in media vinea; quamvis occulti & terra obruti: sic etiam Ecclesia Lutherana fuit in medio Romanæ Ecclesiæ, si enim hoc ita non esset, quomodo AntiChristus in medio templi sancti sedere po- tuisset? 1. Thess. 4.

Conventione autem factâ] Græc. συμφωνίας, συμφονίā metaphorica vos musicis nota & propria. Ut enim ex diversis sonis & tonis suavis symphonia oritur ac harmonia, sic etiam harmonia est inter conducedentem & conducedendum, quando de quantitate mercedis con- sentiunt: Ich wil dir so vnd so viel geben: Ja wolan / Ich nehme so vnd so viel / & putat Chrysost. in 6. 24. pulchre vocula συμφωνίας depingi illud pactum, quod Deus nobiscum instituit in Baptismo, ibi enim vere sym- phonia instituitur, & quidem talis: Ex parte Dei conducedentis queritur: Ent sagest du dem Teuffel? vnd allen seinem Wesen? vnd allen seinen Werken? ic. Glaubestu an Gott den Vater / Sohn vnd H. Geist? Et ex nostra parte ceu conducedendorum, respondeatur: Ja / Ja / Ja / das klingt sehr schön / ideo Baptismus dicitur: ἐπεγιτηνα stipulatio 1. Pet. 3.

¶ Observa hic I. Pontificios ex hac cœlestis patris familias conductio- ne ita concludere. Qui conduxit, mercedem debet, quando alter laborem suum impendit & absolvit: Atqui Deus nobiscum pacifiscitur: Ergo re- netur reddere Deus mercedem, aliter esset ingratus & injuste ficeret cum tali, nisi redderet, Guilielmus Antiodorensis in summa aurea l. 3. tract. 12. citante

Quomodo mer-
cedem Deus de-
beat.

Dn. Hunnio in Labyr. pap. th. 183. Resp. i. opera nos debere, etiam si nullum vel pactum vel promissum intervenisset, Luc. 17. Quæ (2.) Deus promisit & quasi pacto facto nobis obtulit præmia, ea ut promisit, ita dat gratis & ex pura beneficentia, sine ullo aliquo meritire respectu, juxta illud: *Nil Deus in nobis, præter sua dona coronat.* Debitor itaq; Deus est, non ex merito nostro, neq; ex commisso, sed ex promisso gratuito, juxta illud vulgare: *Zusag macht schuldt/ non debendo, sed promittendo debitorem se fecit Deus.* Aug. Serm. 31. in Luc. ¶ II. Observa, cuilibet nostrum omnino attendendum, ut Baptismi conventionem ac symphoniam integrum servet ac inviolatam. In musicis si semel chorda aberres, jam symphonia turbata est, sic si semel Baptismi pactum peccando fueris transgressus, jam *harmonia Christianismi*, jucundissima violata, siquidem inter Christum & Belial nulla conventio, 2. Cor. 6. In musicis nihil difficilius est, quam vocum harmonian & symphonian retinere integrum, siimmen ist das schwierest: Sic harmoniam in Baptismo inchoatam salvam retinere, hic labor hoc opus est. Vide itaq; ne *infernal* ille *amus* voces turbet, das er die Wielbel nicht verdræhe / alias ad cœlestem illam cœlestium *harmonian* nunquam pervenies, sed in exteriores ejicieris tenebras, ubi nulla est *symphonia*, sed fletus & stridor dentium, Matth. 13, v. 21.

Servemus conventionem in Baptismo fratrem.

Ex denario diurno.] Erasmi versio habet: *In singulos dies denario*, sed minus recte, cum in unum tantum diem fuerint conducti, unde glossula Bezae rectius: *singulis in diem (νιμέας προ κατ' ημέαν) denarius erat destinatus.* Loquitur autem Dominus pro conditione suorum temporum, cum Judæi V. T. Denarios non habuerint, tempore autem Christi Romanorum numismata Denarii dicebantur, unde postea Hebræorum ⠉ Dinat mutuatum. Hieronymus dicit Denarium olim pro decem nummis computatum, & ita dictus esse videatur Denarius quasi decem valens æreos, Salmeron tract. 33. sect. 8. Denarius est genus nummi Romani, drachmam valens, h. e. tres solidos gallicos & semisse, Beza. Hunnius dicit denarium duos esse bacos cum dimidio, in c. 20. Matth. Bunting. Ein Quintlein silber / ein halben orts Thaler / 5. Mariengroschen. Philippus Mel. Denarius propemodum est, quod nos vocamus ein Schreckenberger. In Cornelio Tacito, & aliis scriptoribus, sèpè fit mentio denarii diurni, qui debebatur militia in stipendium ita, ut singulis mensibus circiter 3. coronati penderentur, quia 10. denarii constituant unum coronatum, & coronati 3. æquant ferè 4. florenos, quantum pro stipendio adhuc

adhuc solvitur uni militi in mensem unum, à militia puto translatam esse consuetudinem, ut etiam in operis quotidie daretur denarius. Accedit hæc sententia ad mercedem, quæ hodieq; operario pro labore diurno solvitur. Quid autem Denarius in hoc parabola? Sententia tam multæ tamq; diversæ sunt, ut I. Harm. Chemnitii dicat, sententia tum discrepantia quosdam esse motos, ut de Denario in explicatione hoc Evangelii prorsus silendum censuerint, cum denarii mentio addita sit, vel ornatus saltem causâ, vel ut parabola aptius cohæreret. H. Pontificii omnes per denarium intelligunt vitam aeternam, promissam PRO LABORE, ut Lyra loquitur addens: *Vita aeterna diurnus dicitur denarius, quia est omnibus aequalis. Denarius premium est beatitudinis, Ardens. Cælum non immeritò denarius appellatur, quia in eo omnium bonorum Summa continetur, Granat. ubi ad perfectionem Denarii numeri alludit. Sed sequitur ex hac absurdâ sententia, etiam murmur antibus (1.) contra Deum dari vitam aeternam, ut & (2.) illis qui invidia sunt infames & habent oculum nequam, si autem oculus nequam est, totus homo tenebrosus est, Matth. 6. v. 23. sequetur (3.) quod aliquando piî pro suis laboribus sint postulaturi aliquod præmium vitâ aeterna majus: sequetur (4.) vitam aeternam dari non electis, nam primi hîc idem sunt quod electi, dicente Christo: Novissimi erunt primi & primi (nota) novissimi, multi enim vocati, sed pauci electi. Græci certè nonnulli absurdâ hac sententiâ moti sunt, ut per vesperam intelligerent resurrectionem, per denarium vitam aeternam, idèò animabus sanctorum, ante resurrectionem, beatitudinem visionis Dei denegarunt, cum ante vesperam denarius non detur, allegante ipso Bellarm. l. i. de Beat. c. i. III. Theophylactus per denarium intelligit Spiritus S. gratiam transformans hominem ad suum exemplar, & faciens divinæ naturæ participem. IV. Aretius dicit denarium esse omne id, cuius respectu quisque Christianum sequitur. V. Hieronymus: Denarius habet imaginem Regis, & valet 10. nummis, quantò itaq; plus aliquis laborat decalogi decem præceptis insistendo, tantò plus informatur in imaginem regis Dei. VI. Hilarius & recentiores multi per denarium intelligunt omnem pietatis remunerationem, tum corporalium & spiritualium, tum terrenorum & coelestium bonorum, sola tamen Dei gratia & misericordia nobis obtingentem. VII. Philippus Mel. ut per vineam Ecclesiam, & per laborem ministerium, sic per denarium intelligo omnia beneficia, quæ Deus dat ad conservationem Ecclesia doctrina propagationem. VII. Ut dicā quod res est, non displicat mihi sententia D. Lyserti in Harm. Chemn.*

D. Bal-

D. Baldini in Hypomn. Erythrop. Dom. septuag. & aliorum, qui per Denarium intelligunt ipsum Christum. Ut enim ille Abraham dicebat: Ego ero *merces* tua magna nimis, Gen. 15. v. 2. sic omnes hunc denarium accipiunt, qui per Baptismum in Ecclesia vineam recipiuntur, Gal. 3. v. 27. denarius autem hic cum distribueretur circa vesperam, h.e. in novo Testamento, ibi Judæi gentibus serò vocatis hunc denarium semper invidenterunt, ex adventu Messiae singularia quædam privilegia præ gentibus sperantes, quæ spes ubi ipsos fecerit, murmurarunt adversus patrem familias, indeq; ex primis imi, & ex imis primi facti sunt. Discursus D. Lyseri jucundus est: *Christus est denarius Redemtionis & solutio-*
nis, est Sicut ille Isr. acel. qui totam civitatem Hierosolymam fecit sanctam: Adamo
Deus ab initio impreseferat suam imaginem, sed turpiter eum pro se & posteris ammisit, unde etiam ut malus operarius ex paradiſo exturbatus est, Filius autem Dei
pro nobis intercessit, & se soluturum promisit quod non debuit. Hanc intercessio-
nem quando pater suscepit, tunc convenio facta est, inquit tunc nobis sum pactus
est in Christo & de Christo promittens, ex cœlesti paradiſo nunquam pellendum
eum, qui Christum, ceu λύτρον & redemtionis denarium secum habeat, &c. Ob-
jici quidem contra hanc possit sententiam, quod (1.) Christus sit mis-
sus, non propter nostrum laborem, sed ex mera patris misericordia,
quodque (2.) denarium acceperint etiam illi, qui ex vinea ejiciuntur,
tales autem in Christo partem non habere. Sed R. nos non statuere,
quod denarius ex debito & pro labore, sed omnino gratis datur, quem-
admodum & Christus gratis nobis natus, datus, & donatus fuit. Quod
expulso attinet, de illis non dicit parabola expressè, quod denarium
acceperit, nec dicitur: accipe denarium & vade, sed: tolle quod tuum est, &
abi. Si tamen maximè denarium accipient impii, Christus tamen ipsis
est denarius iudicij, quem acceperunt quidem, sed eo male usi sunt,
Chem. Harm. puto hæc analogia fidei consentanea esse, quemque tamen
suo sensu abundare libens patior, si modo parabolæ scopum attingat.
 ¶ Observa hic summum Dei nostri, cœlestis illius patris familias, *boni-*
tatem. Nos illi jure creationis obstricti eramus ad quævis scvitia, gra-
tis etiam & ultrò facienda, præsertim cum ille sensus, manus, membra &
omnia ad laborem necessaria tantæ liberalitate nobis dederit, ut meritò
diceremus: quid retribam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi,
Psal. 116. v. 12. sed quia homo in pietate requisita ut plurimum cum A-
braham sollicitè querit: Domine, quid vii mihi dare? & plerumque gratis
penni-

*Deo operantes
non sunt frustra
Laborantes.*

pœnitet esse pium, id est premium addit & mercedem. Er muss vns die Frömmigkeit/gleich wie ein Vater seinen Kindern das beuen/lesen vnd Schul gehen/gleichsam abkauffen vnd abnachsen/jucundissimis hisce promissionibus: Ego sum merces tua magna, Gen. 15. Electi mei non labor abunt frustra, Isa. 65. mitte lachrymas oculorum tuorum, quia labor tuus remunerabitur, Jerem. 31. copiosas erit merces vestra in cœlum, Matth. 5. &c. strenuè igitur in labore bonorum operum pergamus, cum nec frustra sudemus, nec corporis vires in vanum consumamus, sed negotium nostrum cum Domino est & opus nostrum cum Deo nostro, Isa. 49. v.4. Gott leß ihm die Schand nicht nach sagen/ das jemand vergebens ihm arbeiten solle/præmia fert gratis, qui facienda facit.

Et regressus circa horam tertiam.] Sciendum, quod *Graci* diem auspicati sunt manè cum ortu solis: *Arabes* diei secere initium in meridie, ut solis eò melius observarent radios: *Hebrei* incipiebant diem vesperi, cum *Moses* testetur, noctem ante diem creatam: *Nos* inchoamus diem media nocte, qua Christum resurrexisse pia credidit antiquitas, hinc versiculus:

*Graci mane diem capiebant, solù in ortu:
Vespere Iudai: scrutantes sydera cœli
Dum Sol in medio fulget nitidissimus orbe:
Christicole incipiunt media sub tempore noctis.*

Philippus Mel. pulchre dicit: Veteres habuerunt horas inæquales sive *nœctuas*, quia quoslibet dies æstivos & hybernos dividebant in 12. horas, juxta illud: nonnè duodecim hora sunt diei? Joh. 12. v. 9. ubi in bruma singulæ horæ multò breviores fuerunt quam in æstate, & dicitur talis dies 12. horis constans *Artificialis* vel *Civilis* ab artificiis, qui operantur à Solis ortu usque ad ejus occasum. Nos horis *equalibus* utimur & in hyeme & in æstate, quia respicimus ad quantitatem diei non *artificialis* vel *civilis*, sed *naturalis*, quem dividimus in 24. horas & ordinum numerationem à media nocte, et si aliquibus in locis usitata etiam est numeratio horarum ab ortu Solis, sicut habent Noribergæ tale horologium pro operis. Loquitur itaque hic Christus pro more veterum, qui *summo manè surrexerunt & coenarunt tantum, juvenes tamen sumebant jen-* Phil. Mel. in *taculum: senes coenabant juxta horam tertiam, qua consuetudo semibus valde est post* conveniens: nostris gentibus usitatum est, mutare noctem in diem potando, hellu-

antur noctu, manè protrahunt somnum, cum matutinum tempus rebus agendis
maxime sit accommodatum, juxta versus:

Sex horæ rebus tantum tribuantur agendis,

Vivere post illos dictio Çyri monet.

Quomodo autem Judæorum & nostræ horæ in horologio differant,
præfens Schema te docere potest:

JUDÆICÆ.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
----	----	----	----	----	----	----	----	----	-----	-----	-----

NOSTRÆ.

7.	8.	9.	10.	11.	12.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
----	----	----	-----	-----	-----	----	----	----	----	----	----

Atq; sic egressus est pater familias (1.) *summo mane*, h.e. circa 5, vel sextam:
(2.) *hora tertia*, h.e. circa nonam (3.) *hora sexta*, h.e. circa duodecimum,
(4.) *hora nona*, h.e. circa tertiam (5.) *hora undecima*, h.e. circa quintam
nostræ horologii, quæ horæ, quia diem in 4. vigiliæ (quarum quilibet
horas 3. complectitur) dividunt, idèo Tertullianus eas vocat: *Insigniores*, de significatione harum horarum allegoricâ postea dicemus.

*Horologiorum
inventio.*

Observa hinc inventionem horologiorum diversam. Horas diei artificia-
lis 12. esse, hoc omnium primo observasse dicitur *Hermes Trismegistus*,
qui cum in Ægypto vidisset quoddam animal sacris destinatum & Se-
rapî dicatum, quod totâ die urinam funderet duodecies, pari semper
temporis intervallo; ex eo ille conjectit, in 12. horas diem posse dividi:
Horologia porrò à *topo* (scilicet moventia, vel magnete, vel rotulis
dentatis, & ponderibus) quod attinet, ea invenisse dicitur *Boëtius Se-
verinus Philosopher*, ubi tamen credibile est, præcessisse horologium *sola-
re*, in quo gnomon & umbra horas ostendunt, & dicitur ejus inventor
Anaximenes Milesius, qui apud Lacedæmonios ejusmodi opus dixit:
Sciotoricon, *λόγος της οὐρας ab umbris, eine Schatten Uhr*. Apud Roma-
nos certè ad annum urbis usque 595. dies indiscreta fuit, donec *Scipio*
Nasicus primus aqua divisit horas noctis & quæ ac diei, unde *clepsydra* o-
lim dicebatur vas, è quo guttatum effluebat aqua, ad notandas horas:
hodie tale horologium est *pixis vitrea*, quæ arenas tenuissimas ad horu-
læ spatium, destillat, juxta ænigma:

Lex bona dicendi, lex sum quoq; justa tacendi,

Namq; fluo, dum verba flunnt, ut lingua quiescat.

Et inve-

Et invenit alios in foro otiosos.] Forum est, quicquid extra vineam est, h. e. extra Ecclesiam Christi, Orig. In foro autem tria sunt ut plurimum, (1.) magnus ibi strepitus est, unde Hebreis forum dicitur prius Schuk, quod homines ibi currant & discurrent, à πρώτῳ Schakak discursitare: Sic in mundo, qui non oriuntur strepitus invidiæ, rixarum, contentionum, die Welt ist des Teuffels Zummelplatz/worauf ein solches Getümmel / ut multi præ strepitu rerum mundanarum, nec verbum Dei audiant, nec Ecclesiæ vineam etiam magno campanarum sonitu vocati, accedant. In foro (2.) variae res venales exponuntur, & siebat illud apud Judæos ut plurimum in porta, quæ propterea dicitur γενεσις Schaar ab astimando: Sic in foro hujus mundi venales exponuntur animæ, aliqui vendunt eam pro modica delectatione, ut carnales & gulosi: aliqui pro divitiis fallacibus, ut avari: aliqui pro transitoriis honoribus, ut superbi, & sic deinceps, da hat denn der Hellische Kramer gut Marchen/juxta tritum illud: Wenn Marren zu Markt kommen/denn feussen die Kramer Gelt. In foro (3.) plerumq; sontes condementur & puniuntur, hic itaque nostra conditio depingitur, quod videlicet naturamancipia simus & servi Diaboli, venundati sub peccatum, indeque judicandi, multandi & æterno afficiendi supplicio; Das ist des Teuffels Erodelmarkt / in foro statim, quasi venales, si quis emere modo vellet, Gloss. Interlin. Quinam autem sunt hi forenses? Gentes à bono opere torpentes, inquit iterum Interlin. Glossa, & querit paterfamilias, quid stent in foro otiosi? respondent illi: Nemo nos conduxit, h.e. vias vita nemo nobis predicavit, Gloss. Interlin. nullus Doctor, nullus Prophetæ ad nos instruendum venit, quia lex & Prophetæ filius Israël dati fuerunt, Lyra. mittuntur tamen & hi otiosi in vineam, hac promissione: quod justum fuerit, dabitur vobis, ali: quod rectum, Syrus καὶ Devale, quod decuerit, quod oportuerit. ¶ Observa I. quoniam sit illud medium, per quod otiosos & malos in vineam suam Deus solet compellere, Concilio videlicet Legu, quæ ita habet: Quid statis hic otiosi? Evidem, patrum nostrorum tempore, voluerunt Antinomi, legem ex pomerio Ecclesiæ omnino eliminandam, nec Mosen ad Ecclesiam & cathedram, sed ad curiam & patibulum pertinere, quæ Ilebii & sociorum blasphema vox erat, verum docet hoc. parab. in ipsa Domini via semper inculcandam hanc vocem; quid statis totum diem otiosi?

Maledictus qui non facit omnia in legis libro consignata, Deut. 28. v. 25. non itaque dicere possumus: *Nemo nos conductus est, quia dicente Gregorio, penè à matrū utero ad vineam venimus, verba vita ab ipsis incunabulis audiimus, conducti in dī creati sumus in Christo Iesu ad bona opera, ut in eis ambulemus*, Eph. 2. v. 10. Licet itaque forenes nostri se excusent, non tamen in foro manent, nec aliò se conferunt, sed vineam statim adeunt & strenue laborant: Sic & nos audientes illam vocem in concionibus legalibus: quid statis totum diem otiosi? non procrastinemur, non dicamus, hora diei 12. sunt, sufficit si ad undecimam me sistam: sed hodie si vocem illam (quid otiosi statis?) audierimus, vineam audeamus, laboremus, non otiosi sumus sed negotiosi, & quod rectum, dabitur nobis, cum pietas ad omnia utilis sit, & habeat promissionem hujus ac futuræ vitæ, 1. Tim. 4.

*Clausula quod
justum est, &c.
non jurat Papistus.*

¶ Observa II. Pontificios ad probandum operum meritum valde urgere hanc clausulam: *Et quod justum est, dabitur vobis*, unde colligunt: dici vitam æternam non mercedem tantum, sed mercedem justam, quod justum est dabitur, siigitur Deus hanc mercedem pro bonis operibus non solveret, utique INIUSTUS esset, hinc excusant verba illius Monachi, qui in agone dixit: *Redde mihi Domine quod debes*, &c. continere illa verba non blasphemiam, sed potius *περιποίησιν* illam magnam, torties, in scripturis, fidelibus commendatam, 1. Tim. 3. v. 13. 1. Joh. 3. v. 21. Heb. 10. v. 35. Coton Iesuita in Cathol. Instit. Sed R. & equum (1.) esse & justum promissa servare, itaque quod justum hoc Deus dat, non respectu nostri meritii, sed respectu sui promisi gratitudo. More (2.) Hebræo non raro JUSTITIA vox ipsissimam Dei clementiam & misericordiam notat, videantur dicta, Zech. 9. v. 16. Psal. 103. v. 6. 143. v. 1. Deus (3.) dat non quod justum est ex nostro merito, sed quod justum est propter meritum Christi absolucionem, quod per fidem nostrum est. Fiduciam (4.) & parresian in scripturis commendari certum est, sed probent Papistæ, cum Deo tam audacter ac consideranter expostulare, esse talēm *περιποίησιν*: imò probent ullo exemplo, aliquem ex verè sanctis ita locutum: *Redde mihi quod debes* & ego merui, &c. longè aliter Daniel, c. 9. v. 18. longè aliter David: Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo, Psal. 115. longè aliter Christi salutare monitum: si omnia feceritis, dicite: servi sumus inutiles, Luc. 17. imò longe aliter Hugo pius Gratianopolitanus antistes, quia ad bona sua opera usque a deo noluit provocare, ut dicat: *Bona mea opera nec puræ mea sunt nec pure bona sunt, mala autem mea & puræ mea sunt & pure mala sunt.*

sunt. Vidi hoc dictus Cotton, ideo monet dicto loco, satius quidem esse ad misericordiam quam ad opera configere, sed posse tamen excusari Catholicos. *Vt enim recte dicatur, sic laborandum ac si perpetua esset vita nostra, & sic orandum, quasi cras moriendum nobis: ita etiam docere catholicos, sic operibus studendum, ac si salvarent; sic autem omnem spem in DEI misericordia figendam, ac si illa sola ad salutem sufficiat.* Sed confunduntur hic diversi loci Theologici, in loco de bonis operibus omnino serio exhortandi sunt Christiani, ut vera pietati studeant, non quasi opera salvarent (id quod mendacium est, vnde mussen wir die Leut mit solchen Lügen nicht frömm machen) sed longè alias ob causas alibi enarratas. In loco autem de Iustificatione, bona opera removenda, & informandi homines sunt, solam Dei misericordiam (non dubitanter) quasi sufficere, sed omnino sufficere ad salutem, quia gratia salvamur per fidem, & hoc non ex nobis, sed Dei donum est, neque ex operibus, ne quis (cum Monachis) glorietur, Eph. 2.v.8.

Circa undecimam verò] Tempus tandem erit, ut de significacione diversarum horarum differamus: & dicunt ut plurimum hic agi, vel de diversis temporibus V. T. vel de diversis temporibus N. T. vel de diversis hominis ætatibus, vel de diversa Doctorum Ecclesiæ vocatione & functione, ubi tamen paßim, ad parabolæ scopum, non omnia quadrant, proindeq; si ita hæc tractentur in suggestu, ut fidei analogia satisfiat, utique accusati nemo poterit. I. Quoad V. T. manè egressus est Dominus in paradisum, vocans ad vineam Adam, Eym, Abel, *Diversa hora* juxta V. T. Seth, Enochum, &c. vocationis formula extat, Gen. 3.v.9.15. *horæ tertiae* egressus est post diluvium, vocavit Noach, Semum & posteros, vocationis extat, Gen. 8.v.6. *Circa sextam* vocavit Israelitas in Abrahamo, vocationis extat, Gen. 12.v.1. *Circa nonam* Israelitæ ex Ægypto vocati & ducti, Exod. 3.v.7. *estum diei & pondus portarunt, h.e. jugum legis Mosaicæ, A&t. 15.v.10.* *circa undecimam* tandem vocati sunt Gentiles, *in foro stantes & ab omni bono opere torpentes.* Ita Origen. hom. 10. in Matth. Ambros. l.7. in Lyc. c.15. Theophylact. in Matth. & nostro tempore multi, sed scrupulosè hæc urgeri non possunt, si enim per operarios primæ horæ intelliguntur, Abel, Seth, Enoch, &c. sequetur, eos in illa fuisse opinione, quod plus sint accepturi, quam gentiles vocandi: sequetur eos submundi vesperam contra Deum murmuraturos: sequetur eos accusandos, quod oculum habeant nequam, &c. In parabolis itaque omnia ur-
B b b b 3 gerū

*Diversa hore
juxta N.T.*

geri non possunt, sed principalem illarum nosse scopum sufficit, ut praecedenti Dom. monuimus. II. Quoad tempus N. T. egressus maturius concernit *Apostolos*, qui verè æstum & diei pondus portarunt, per universum orbem Evangelium divulgando: *hora tertia* competit sanctis Patribus: *sexta* Pontificibus Romanis, ex quibus vix quinq^u pū fuerunt, reliqui ferè omnes ociosi stetere in foro, sic verwandelten alles in Kra-meren' juxta illud;

— *Venalia nobis,*

Templa, Sacerdotes, cœlum est venale, Deus qz.

Hora quarta competit tempori avorum nostrorum, ubi quidem multis dictavit conscientia, cur otiosi starent? cur Antichristi forum non defererent? cur ejus mercaturis non contradicerent? sed plurimi tunc verebantur, sed ad hoc non conductos, at præente Dn. Luther & reformationis opus animosè inchoante, secuti sunt in vineam, Philippus Mel. Iustus Ionas, Pomeranus & alii angeli, animosè clamantes: *cecidit! cecidit!* Apoc. 14. per horam autem ultimam & undecimam intelliguntur nostra tempora, ubi adhuc Dominus egreditur, & mittit, alias Evangelistas, alias Apostolos, alias Doctores, & alias Pastores, &c. scio & hæc scopo parabolæ per omnia non convenire, quia tamen fidei analogæ, retinere mecum poterunt, qui voluerint. III. *Quo addiversas hominis etates, Manè notat* (interpretē Hieron. l. 3, in Matth. ut & Gregor. in hod. Evang.) pueritiam, & hora hac Dominum secuti sunt Samuel, Ieremias, Iosias, Baptista & alii, qui dicere potuissent: *ex utero matris meæ Deus meus es tu*, Psalm. 22. v. 12. *Hora tertia* adolescentiam notat, & conducti sunt hac hora Titus, Timotheus & alii, qui malitia & perversitatis forum juvenes deseruerunt: *Hora sexta* virilem pingit ætatem, in qua patrem familias secuti Petrus, Andreas, Paulus, &c. *Hora nona* ætas est ad senium declinans, senes itaque, instar solis, licet ad occasum tendant, calidi tamen in Dei sicut servitio, semper orantes? *cum defecerit virtus mea, ne derelinquis me*, Psalm. 7. Tandem *hora undecima* decrepitam notat & veteranam, quâ hora licet Sol plane occidat, h. e. visus caligatur, auditus minoratur, gustus amaricatur, intellectus obscuratur, memoria decurrit, &c. Laborare tamen instanter debet manus tua, quia ultimæ etiam horæ suus est decessarius destinatus, in pueritia si petulans fuisti ac immoriger parentibus & præceptoribus, emenda te & memento Creatoris tui *in juvenute*, Eccles. 12. v. 1. si fuisti in Adolescentia tua acolastus, Luc. 5. v. 13. corrigere

*Hora diversa
juxta hominis
etas.*

rige in virili ætate, orans: delictorum juventutis mea ne memineris, Psalm. 25.
 ver. 7. si etiam virilis ætatis florem Satanæ consecrasti, emenda te in
 senectute, orans: ne proficias me in tempore senectutis, Psalm. 71. v. 9. Si ve-
 rò in hac etiam ætate malus fuisti operarius, propter Deum converte
 te, clepsydra mortis ad finem properat, nec post hoc tempus ullum erit
 (pœnitentia) tempus, Apoc. 10. v. 6. Deus quidem omnes vocat æta-
 tes, sed tu nescis an omnes ætates sis permeatus, ideo, cum operariis,
 qua quisque vocatus hora est, ea veniat, venit latro hora undecima, sed si
 citius vocatus esset, citius etiam venisset. Quapropter b̄ florentes juve-
 nues, audite quæso patrio vestri preceptionem: Vade hodie operari in vineam
 meam, non assurgat temeraria spes, tacito forsitan murmure insurans: Non
 hodie sed cras erit hodiernus dies, ut hesternus sit in voluptate, sit in omni delecta-
 tione, cras respiciam, cras respicam, cras vineæ cultui operam adhibeo, an au-
 ditio corvinam vocem? an infidam fiduciam animadvertis? certè, qui non est
 hodie cras minus aptus erit, hodie ergo agas pœnitentiam, cras de te fiat vo-
 luntas Domini, cui gratiora sunt servitia parvolorum, quam obsequia de-
 bilitatorum, qui non virtus deserunt, sed à virtus deseruntur. Si verò Deo in ju-
 ventute & pueritia non serviisti, saltem in ætate ultima resipisci, licet non
 multum laboratus, laboratus tamen aliquid, Gregor. hom. 19. super
 Evang. Tandem IV. si diversæ horæ ad Doctorum accommoden- Diversæ hora
 tur functionem, certum est nec omnes una hora vel vocatos vel vocari: juxta Doctorum
 nec ad tempus æquè longum singulos laborare; Mathusalem in vinea functionem.
 æstum & diei pondus tulit annis fere 1000. Elias laboravit annis 20.
 Elisa 70. Esaias 80. Ieremias 40. Daniel 70. Ioannes Evang. 68. Paulus 36. Iu-
 therus 30. Baptista 2. tantum, hæ sunt diversi egressus horæ diversæ. ¶
 Observa itaq; hic I. Summam DEI Φιλανθρωπίαν, qui licet nostro la-
 bore non egeat, nec hominum manibus ministretur ei, Act. 17. v. 25. li- Deum laborem
 licet etiam in coelesti paradyso ministrantes & strenue laborantes habeant nostrum quæsi
 angelos, præ immenso tamen amore talem se gerit cœlestis ille paterfa-
 milias, quasi nostro labore carere non posset, cum tamen in & per se
 sit perfectissimus, nec ullo vel angelorum vel hominum indigeat servi- nostrarum quæsi
 tio, hinc toties egreditur, operarios toties querit, & manus suas ad nos
 extendit tota die, Esa. 65. v. 2. perditurus forte aliquid de sua bonita- tibi necessarium
 te, nisi in obis mendicis illam communicaret. Eant nunc Calviniani &
 dicant, Deum ab æterno quosdam homines, absoluto quodam decre-
 to, odisse & ad infernum prædestinasse, egressus certè patris familias
 varius-

varius his reclamat & manifestè ostendit, Deum hominum salutem tam velle seriò, ut operarios in vineam non modo studiosissimè vocet, sed fermè non extrudat Matth. 9. v. 36. Ergò nullus desperationi locus, nullus excusationi restat effectus, siquidem omni horâ & in omni etate peccator suscipitur: convertatur itaque undecimâ hora, convertatur vel in ultimo vita termino, qui prius in bono otioso in malo autem sedulus fuit, nam & ipse si voluerit, si conversus fuerit, si vel ad horam laborare cooperit, simul cum aliis denarium mercedemq[ue] recipiet, Euseb. hom. in Ev. Sept. ¶ 11. Notetur hic: an

Liberum arbitrium in spiritualibus nullum gat hoc apertissimè conditio nostrorum operariorum, sunt enim illi (1.) extra vineam, quia peccatum nos & Deum nostrum separat, Esa. 59. sunt (2.) operarii, c. rme Taglöhner vnd Capitler, sicut & nos in spiritualibus sumus egeni cœci, nudi & mendici, Apoc. 3. v. 17. Sunt (3.) operarii dolosi, otiosi, in Satanæ foro venundati, qui autem cum Christo non est, is contra eum est, & qui cum Christo non laborat ac colligit, is dispergit, Luc. 11. v. 23. Non querunt (4.) laborem, sed ad laborem queruntur, sie gehen vnd lauffen nicht nach Arbeit / Inmassen sonst wol bey Taglöhner vnd Arbeitsleuten gebreuchlich / sondern Gott muß jhnen nachgehen. Quis ex his omnibus non colligeret: Sine patris Numine, & sine Nati lumine, & sine Flatus lumine nihil esse in homine, præter omne noxiū? & tamen Bellarm. l. 6. de libero arbit. & gratiâ. 10. ex hac ipsa parabola, pro libertate arbitrii, satis impudenter pugnat, hoc fretus fundamento, quod homo dicitur *Operarius*, qui plantare possit & rigare, proindeque liberum habeat arbitrium in rebus etiam spiritualibus. Resp. nullam esse consequentiam, homo operarius est, E. ex viribus naturalibus est, innuit enim tota nostra parabola apertissimè, non esse aut currentis aut volentis, sed solius Dei misericordiæ, Rom. 9. Plantare & rigare externa sunt, nec quicquam proficit vel plantator vel rigator sine Dei misericordiæ benedictione, 1. Cor. 3. 7. certum itaque est Bellarminum & socios aperte πλαγιαινεῖν, quoties pro viribus liberi arbitrii militant, contra manifesta dicta, 1. Cor. 2. v. 5. 2. Cor. 3. v. 6. Eph. 2. v. 13. &c.

Vespere autem facto] Vespera Hebraicæ נְאָזֶן Erebus dicitur ab נְאָזֶן Arab misceri, quod tunc lux cum tenebris quasi misceatur, vel quod circa vesperam omnia confusa sint, nec facile unum ab alio possit discerni. Quid autem per vesperam hic intelligatur, non facile fuit Lyranio colligere, ob murmurantes, ideo torquet se, & statuit tandem per seorsim

sero esse intelligendum gratia tempus, consentiunt illi, qui per denarium in-
 telligunt Christum, per murmurantes vero Judæos, qui Christum in
 vespera, h.e. N. T. tempore gentibus inviderunt: alias interpretes vere
 omnes finem, vel vita, vel mundi per vesperam intelligunt. Per sero finis
 mundi & laborum significatur, Ardens cum finis mundi vel cuiuslibet venisset,
 Gloss. Interlin. Serò erit singulus in morte, omnibus in judicio, his enim duobus
 temporibus merces omnibus reddenda est, vita nostra tempus operandi, mors vero
 mercedis percipienda, Granat. vespertino autem tempore, non ipse pater-
 familias denarium solvit, sed dicit Procuratori, Θιτέρων, Syrus reddidit.
 Prefecto domus sua, qualis Herodi erat Chusa, qui etiam Θιτέρων dicitur,
 Luc. 8. v. 3. per hunc autem procuratorem quidam intelligunt an-
 gelos, qui Christo in extremo judicio ministrabunt, Dan. 7. Matth. 25.
 Sed rectius alii interpretantur de ipso filio Dei, qui rectissime dicitur
 Procurator, cum ad procreationem salutis nostræ missus sit, teste Lyrano. Do-
 minus dicit Procuratori, h.e. Pater filio, cui omnia in manus dedit, Gloss.
 Interlin. Pater conduxit operarios ipse, vineæ autem procurator, cu-
 stos & mercedis retributor Christus est, quia pater non judicat quen-
 quam, sed omne judicium dedit filio, Joh. 5. qui constitutus judec-
 vivorum & mortuorum, Actor. 17. reddens unicuique secundum opera, 2.
 Cor. 5. Mandat ergo paterfamilias procuratori, ut vocet operarios, Glossa
 Interlin. addit: statue ante tribunal tuum, & pulchre per Vocem A hic de-
 pingitur causa resurrectionis instrumentalis, quæ erit, non aliquid corpo-
 ris humani ossiculum, Spiritu vitali repletum ac propterea corruptio-
 ni non obnoxium, ut Judæi fabulantur, sed resurgent mortui voce &
 vocatione filii Dei, cœlestis illius Θιτέρων, qui clamore valido redibit,
 1. Thes. 4. v. 16. ejus vocem omnes sepulti audient, Joh. 5. v. 29. Tunc vo-
 cabis me, & ego respondebo, inquit vulgata vers. Job. c. 14. v. 15. Tan-
 dem jubet cœlestis paterfamilias, ut procurator Operariis reddat mer-
 cedem, ita enim præcepere: Dominus: Opus mercenarii non morabitur apud
 te ad usq[ue] manæ, Lev. 19. v. 13. die laboris da mercedem, ante solis occasum, ita
 enim operarius sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum & re-
 putetur tibi in peccatum, Deut. 24. v. 14. ¶ Observa hic, I. & consola- Diem laboris
 tionem propius suavem, & exhortationem pro securis & impius gravem. E- vespera, sequi-
 quidem militia est vita hominis super terram, & dies ejus ut dies Mer- tur refectionis
 cenarii, Job. 7. v. 1. sed, ut mercenarius vesperam affectat & Viator que-
 tem, sic & p[ro]p[ter]estum & die pondus ferentes, mundi vesperam lati ex-
 pectant,

pectent, der Herr wird bald kommen/der Tag will Abend haben/die Sünde wird er verdammen/wer mag für ihm bestehen/ auf den bösen Arbeitstag dieses müheseligen Lebens/wird unzweifelhaft ein guter Abend folgen/wie die Fuhrleut sagen/ ideoque : *sunt modo pralia, post modo premia, qualia? plena: plena refectione, nullaq; paſſio, nullaq; pena.* Impiis autem & securis indubia extremi judicii certitudo hīc probè inculcanda est, quæ enim unquam dies fuit, quam vespera non est infecuta? imò ut diem etiam sereñissimum atra nox sequitur certissimè, ita mundi vespera aderit certissimè, vñ in illa omnibus servis nequam? *Latere erit impossibile, apparere erit intollerabile,* Dominus discindet eos, Matth. 24.v.49. & erit Merces eorum sulphur ac spiritus procellarum, das wird ein böser Löhn seyn / Psal.

*Operariis mer-
cede dignus.*

II. v.6. ¶ II. Observa hīc detestandam Judæorum tenacitatem, qui laborantibus usque adeò tardè & tædiosè mercedem solvebant, ut noster Paterfamilias suum exemplum tenacitati judaicæ opponat, nec velet mercedem laborantis apud se commorari usque manè, ideo ante Solis occasum solvi jubet: Et optandum sane esset, ut illa Judæorum crudelis *tenacitas* jam dudum interiūset, sed hodieq; durat, & multi non cogitant Mercenarium mercede sua dignum esse, invenias Nobiles qui in re amplâ sunt, qui pecuniam in cista habent, & tamen Ephippiarius, faber, futor, sartor decies & amplius, cum dispendio suarum operarum, coguntur adire tales Eucliones & de debito humiliter eos monere: alii erga equites, aurigas, & reliquos Ministros usque adeò duri sunt, ut nihil supra, Sed:

*Clamitat in cœlum vox sanguinis, vox Sodomorum,
Vox oppressorum, Merces detenta laborum, Iac. 5.v.4.*

*Merces nō sem-
per promeretur.* ¶ III. Observa Pontificios, ex hoc mandato coelestis patrisfamilias ita concludere: Cui datur *Merces*, ille *promeretur*, sed *operariis* datur *vita æternæ* *Merces*, ergo *promeruerunt* suis *operibus*. Resp. quod (1.) hīc per denarium non possit intelligi *vita æterna*, antea diximus: nec (2.) dicitur hīc, quod *merces* reddi *debeat OPERIBUS*, sed *OPERARIIS*, jam verò vel pueri norunt, diversas esse quæſtiones, *cui quid detur?* & *propter quid detur?* dari mercedem *operariis* concedimus, dari autem *operibus* vel *propter opera*, hoc est, quod negamus: distinguendum (3.) est inter vocabulum *mercedis* vel *ſtrictæ* vel *latæ* sumptum, proprie & *ſtrictæ* *merces* est *compensatio* *laborum* *debita* & *adæquata*, quo sensu *opus* & *merces* relata sunt, malis enim *operibus* mala & bonis bona *merces*

merces debetur: *Late autem & minus proprie merces dicitur omne id, quod laborem sequitur*, quod quia à promissione & misericordia Dei promanat, ideo in hoc sensu, merces donum & gratia promiscue usurpanatur, sic Deus ipse dicitur *Merces*, Gen. 15. v. 1. sic liberi dicuntur *Merces*, Psal. 27. v. 3. sic qui redamat amantem nullam dicitur habere *mercedem*, Matth. 6. v. 12. apud Lucam autem c. 6. v. 3. pro mercede ponitur *χάρις, Gratia*. Proinde quando merces dicitur vita æterna, tunc sit illud sensu posteriori, *propter Dei promissum & Christi meritum*: Proprie autem vita æterna merces non est, sùm quia ex Dei misericordia est, Eph. 2. v. 8. Tit. 3. v. 2. tùm quia Dei donum est, Rom. 6. v. ult. tùm, quia inter nostra opera & vitam æternam nulla proportio est, Luc. 17. v. 10. Rom. 8. v. 18. Jubet ergò paterfamilias solvere mercedem, *non laboribus premium solvens, sed divitias bonitatis sua in eos, quos sine operibus elegit, effundens*, Ambr. I. de vocat. gent. cap. 5.

Incipiens ab ultimis ad primos , & acceperunt.]
 Ordo solutionis inversus est, cum primò mercedem accipient conducti horā primā, deinde illi, qui tertiā, postea qui sextā hora, & sic deinceps, dicitque Calvinus ex hoc ordine collegisse quosdam, quod in cœlis sint coronandi illi prius, qui in fine mundi, ordine temporis erunt postremi. Sed hoc commentum repudiat D. Paulus, dicens: *Qui superstites erunt, usque ad Christi redditum, non prævenient illos, qui obdormierunt, sed sequentur*, 1. Thess. 4. v. 15. Accipiunt autem omnes unam eandemq; mercedem, promissum nempe denarium, ex quo Calviniani nonnulli, cum primis verò Greg. Schönsfeld Marburg. Theol in disput. de vita æterna, Cassel. A. 1604. habita, colligunt, beatitudinem aliquando singulis æqualem, & nullos in vita æterna gradus futuros: Sed distinguendum inter Beatitudinem ipsam, & inter Beatitudinis modum. Ipsa vita æterna una erit & eadem omnibus Dei filiis, qui omnes Deum à facie ad faciem videbunt, 1. Johan. 3. v. 2. Omnes in eandem transformabuntur imaginem ex gloria in gloriam, 1. Cor. 3. v. 18. sed in modo beatitudinis, quidam parcus metent & quidam largius, 2. Cor. 9. v. 6. quidam in regno cœlorum majores erunt & quidam minores, Matt. 5. v. 19. 18. v. 4. Doctores ut stellæ fulgebunt, Dan. 9. & electi se in vicē claritatis ac gloriæ dotibus superabunt, ut stella stellæ claritate superat, 1. Cor. 15. v. 41. ¶ Observa, omnia hic adversari Operariis. Si n. pro operibus merces solveretur, o-
 mni inò incipiendum esset à primis, qui cum diutius cœteris laborarint, magis quam
 Operariis nihil
 adversatur
 magis quam
 major hoc parabolæ.

major etiam merces præ ceteris dari illis debuisset, sed ut sciamus hic meram esse gratiam, nullus laboris respectus est, & datur immo sicut primo idem denarius, unde certissimum de mercede propriè sic dicta hoc loco non agi. Costerus ut hunc nodum solveret, miram excoxitavit glossam, dicens: Operarios in nostra parabola hora ultima conductos, tantum operis præstissime unā hora, quam reliqui per totum diem, qui hoc? inde dicit ille, quod (1.) ultimi aptiora habuerint instrumenta quam primi, die Hacken weren bey den ersten schon stumyff/ bey den letzten aber noch scharff gewesen: quod (2.) fuerint recentiores, atque sic prioribus alacriores, quod (3.) diligentissimè operi institerint, cum primi lente laborant & sic parum integro die effecerint. Sed nugas audimus & cogitationes in Costeri cerebello natas, fortassis hic commentator in vinea ipse fuit, & suis oculis talia vidit, quomodo enim scire alias posset? *Contra primum assertionis membrum credibile est*, quod circa auroram vocati instrumenta æquè apta habuerint ac posteriores: *Contra 2. primum* matutinis horis æquè alacres & forte alacriores fuerunt, quam qui circa vesperam conducti: *contra 3.* lente primos laborasse idèò non credimus, quia ignavia illis à Domino non objicitur, licet murmurent, non dicitur: *denario vix digni estis, quia non satis strenue laborastis*, immo, non contradicente Domino, gloriantur primi, quod pondus diei & æstim tolerant, hoc credimus quia pater familias credit, manetque æqualis distributio signum meræ gratiæ & misericordiæ divinæ, quæ laboris proportionem non attendit.

Et accipientes murmurabant. ¶ Gregor. per hos murmurantes intelligit patres, ad Christi usque adventum in Limbo harentes, idèò dicit: *Antiqui patres in infernum descendentes à gloria dilati sunt, quasi ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora, ad gaudia pervenerunt:* Sed putat rectè Lyra, hanc opinionem convenientem non esse, cum himurmuratores dicantur *Negram*, id quod de sanctis patribus dici non possit: Illi qui per denarium Christum intelligunt, putant murmurantes esse *Iudeos invidos*, idque commodius: aliū per murmurantes intelligunt *damnatos*, qui non sine murmure à facie Dei discedent, propterea, quod pii in judicio ipsis præferentur. Prætendunt autem hi murmurantes, quod pondus diei & æstim tolerant, si Iudeos intelligas sensus est, Nos qui diu sub onere legis sudavimus, postpositi sumus gentilibus, &c. ¶ *Observa hic animæ salutem nemini invi-*

*Salus invadendi
nemini.*

invidendam esse, sicut Judæi h̄ic murmurant & Pharisei resipiscentiam, non sine fremitu invidebant publicanis ac peccatoribus, Luc. 15. Nos, ne invideamus invicem, Gal. 5.v.15. deponamus invidiam, Rom. 13. v. 13. ubi enim zelus & contentio, ibi opus pravum, Jac. 3.v.16. & *impuri spiritus aetrum*, Gregor. ex Sap. 2.v.25. *quod mitissimum hominem in demonen convertit immittissimum*, Chrysost. exultemus nos in aliorum conversione, cum Apostolis, Act. 11.v.18. & angelis, Luc. 15.v.10. attendamus pœnas invidorum, qui fuere: Cain, Gen. 4. Philistæ, Gen. 26. Iosephi fratres, Gen. 39. Corah, Dathan, Abiram, Num. 16. &c. quibus omnibus invidia putredo fuit in ossibus, Prov. 14.v.30.

At ille respondens uni illorum.] Origen. tractat. 10. in Matth. intelligit per hunc unum Adamum, quem patet familias Amicum nominet ob creationem, & putat novissimum illum, qui una saltem hora fuerat operatus, esse D. Paulum: Sed nimis hæc peregrina esse, quis non videt? alias contra Operarios omnia h̄ic verba directa sunt. Dicit (1.) Amice, Syrus: *Mi socie*, quo verbo in omnibus ferè linguis compellamus ignotos, Beza. Addit (2.) non faciotibi injuriam, Lyra pulchre. Non habet locum *injuria*, ubi mera est *gratia*: pergit (3.) *Tolle quod tuum est, tuum autem nihil est* preter peccatum, August. de nat. & grat. c. 52. *Tolle paenam quam meruisti aeternam & vade in ignem eternum*, cum peccati merces sit mors, Hugo ex Rom. 6. v. 23. *Volo* (4.) *huc dare*. Nota: *Volo*, hæc est voluntas mea, ut qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, Joh. 6. Dabo (5.) non vendam cœlum meum, donum est, non meritum, Rom. 6. *Wilstu meinen Himmel nicht zur Gab haben/ haue hin/ von rechts wegen wirstu jhn nimmermehr erlangen*. Annon (6.) licet mihi mea pro beneplacito largiri & distribuere? misereor cuius misereor, & clemens sum in quem mihi placet, Exod. 33. v. 20. An. (7.) *oculus tuus nequam*, phrasis hebræa, notans invidiam & iram, quia hi affectus maximè per oculos se effundunt, hinc oculus sublimis, Prov. 6. oculus humilis, Job. 21. oculus adulterio plenus, 2. Pet. 2. *Flaciū in clavi sub voce oculus*. Quod ego (8.) tam bonus; ultimum at optimum verbum, & totius parabolæ scopus; Pater familias ut Bonus est, sic nos ejus utamur Bonitate, Gott lebt ihm nichts abpochen/abtrocken/abkauffen/abrechnen/abverdienen / wer sich seiner Gnad nicht trösten wil/ pereat, intereat, Bey dir gilt nichts denn Gnad und Gunst/ die Sünde zu vergeben/rc. Quid clarius contra operum fiduciam dici posset? Addit autem tritum cisterium:

sic ultimi erunt primi, repetuntur hæc verba, Matth. 19. v. 30. Marc. 10. v. 31. Luc. 13. v. 30. Sensus planus est, & ponit *Sactus noster quinq; primorum & novissimorum classes, quas omnino in Postill. vide.* ¶ Observa ad nostra usq; tempora verum mansisse illud Christi: *sic ultimi erunt primi & primi ultimi.* Apostoli confidentes erant, cum primis Petrus, sed ultimi siebant primi, & primi ultimi, mulieres erant animosæ, cum Petrus & discipuli omnes deficerent. Nam quod accidere solet illis, qui in stadio currunt, i. Cor. 9. v. 24. ut nimis unus & alter reliquis ex intervallo benè longo præcurrat, sed postea vel ex spiritus interclusione, vel ex improviso lapsu, aut virium defatigatione impediatur, ut ita ex primis fiant ultimi neq; bravium accipiant: idem est Ecclesiæ in hac vita status. *Iudas* erat unus ex ordine primorum, sed inter novissimos relapsus est: contra *Paulus* novissimus erat & q. *in rebus*, plus tamen per Dei gratiam laboravit, quam reliqui omnes, i. Cor. 15. v. 10. sic *Indai* primi, spredo Christo, primatum concedere gentibus. Sic *Asia* olim erat religiosissima, *Africa* pietate, fide & cœli zelo plena, sed utraq; jam impictati *Turcicæ* subjecet, ubi primatum *Europa* obtinuit, viderit ut illum retineat. Sic ex primis ultima facta est *Roma*, olim mundi caput, nunc *Circes* stabulum & AntiChristi sedes, cum contralux Evangelii postremis his temporibus eluxerit in *Saxonia* nostra, eamq; ex ultima priuam fecerit, videamus itaque & nos, ne ex primis novissimi fiamus.

Multi enim vocati, pauci electi.] Dicitum itidem tritum & repetitum, Matth. 17. v. 22. & 22. v. 14. sed Satanæ malitiâ ex omni parte depravatum. Quidam ex multis fecerunt *Paucos*, quod *Calvinianum*: quidam ex *Paucis Omnes*, quod *Huberianum*. Wir lassen uns aus dem *Wiel kein Weniges machen*/ wir lassen uns aus auch aus dem *We*nig nicht Alle machen/ sed in medio consistentes, dicimus: Omnidò Deum per verbum vocasse *Multos*, h. e. *omnes*, voce multi non *διαιρετικῶς* sed *συμπληρωματικῶς* sumtâ, vide Dan. 12. v. 2. Johan. 5. v. 18. &c. Electi autem non *omnes* sed verè *Pauci* sunt, non quidem ex absoluto aliquo Dei decreto, sed ex illorum hominum perverso corde, qui colla Evangelio submittere, idq; vera fide amplecti nolunt, **FIDE** inquam, quæ Dei quidem donum est, sed tamen per illa promissum media, quibus plurimi mortalium vel non utuntur, vel pessimè perfideq; abutuntur, atq; sic verbi & Spiritus S: operationem pertinaci inobedientiâ impedi-

pediunt, sicut parabola, Luc. 8. docet. ¶ Observa hīc doctrinam de *Locus depradatione ex predestinatione esse quidem, non lac puerorum, attamen cibum adulorum dicente Urbano Regio in lib. de form. cautē loquendi*) qui, ex hod. parabola simplicissimē ita tractari potest. I. Si quis libenter sciret, an sit in numero Electorum, is ab hodierno Evang. remittitur non in Cœlum, ad fatales *alicujus absoluti Decreti* tabulas, sed ablegatur in Ecclesiam, vineam illam Domini, ad quam quemcunq; per verbum Deus vocat, illum vult salvari, & quidem tam serio vult, ut etiam juret, Ezech. 33. v. 11. hīc si quis excipiat, Turcas tamen & Tartaros non esse vocatos, huic tu responde; quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare? I. Cor. 5. v. 12. sufficit, quod scio Me esse vocatum ad vineam, certè Turci etiam in Majoribus vocati sunt, sed quia illi vocationis verbum abjecerunt, ideo impii posteri impiorum majorum culpam meritò luunt. II. Qui sunt ex numero Electorum, cum illis Paterfamilias, juxta hod. parab. facit *conventionem de denario, h.e. ut audivimus, de Christo, cui quidem totus mundus à Patre in hæreditatem datus est, Psal. 2. v. 8.* sed non *Absolute*, verum ita, ut homines in Christum credant & hunc denarium Salutis in oculis & corde semper habeant, qui ergò in Christum credit salvabitur, qui verò non credit nec Christum *redemptionis Sicutum servat*, is damnabitur, Marc. 16. v. ult. *intuere ergò Christi vulnera & sanguinem pro te effusum, ex istis fulgebit predestinatione*, ut solitus est dicere Stupitus, Luthero hoc ejus dicterium multoties commendante. III. Vocati hīc ablegantur non ad otium, sed *ad labores, ad pondus diei & astum*, sic illi Elec̄ti sunt, qui adversa patienter tolerant, & bona opera diligenter promovent, Eph. 2. v. 10. IV. Præsuppositis his fundamentis, *Vocatione* scilicet, *Fide, & bonorum operum studio*, addendum & hoc, ne quis ob bona opera quæ fecit, insolescat, sed operam det, ut in timore & tremore salutem operetur, Deumq; oret assidue, ut ipse bonum opus inchoatum perficiat & ad finem perducat, Phil. 2. v. 12. Taliter si quis se gesserit, de mercede non dubitandum, *Ihm wird wederen was recht ist.* Sed dicat aliquis, in hodierna parabola, annon unus qui vocatus est, qui laboravit, imò qui Denarium etiam accepit, ejicitur tamen ex vinea, & tristem hanc audit vocem: *Tolle quod tuum est, &c?* annon exinde sequetur, si quis vel maximē vocatus sit, si quis vel maximē Christi merito se includat, imò si quis vel maximē benē agat & operetur, si tamen ex absoluto DEI decreto sic rejectus, quod nunquam salvetur Resp. Licet hīc sit vocatus, vocanti tamen

tamen patrifamilias (1.) contradixit, *murmuravit*, & ejus voluntati, audacter nimis, se opposui, ideo reprobatur, & obtingit hoc illis omnibus, qui verbum vocationis nec audire nec vocanti Domino obtemperare volunt. Quod (2.) denarium hic operarius ex vinea ejectus accepit, hoc parabola non dicit, & si maximè accepisset, eo tamen non contentus est, salutem sperat, non à solo Christo redēptionis illo *denario sufficientissimo*, sed potius ex operibus propriis, ideo rejicitur, & obtinet hoc illis omnibus, qui Christum, salutis nostræ sicutum unicūm aperiuntur. Licet (3.) hic laboraverit, non tamen hoc factum est in debita cordis simplicitate, sed operatur *ut invidus & superbus Murmurator*, qui cum omnibus superbis & arrogantibus Deo placere non potest, Esa.2.v.12. Patet itaq; ex hoc reprobato Vinitore, quod equidem rejiciantur aliqui, verū non Dei, sed ipsorum propria culpa, proinde si hujus reprobati vitia fugiamus, si vocanti Deo obediamus, si soli Christo adhæreamus, eūsq; merito unicè innitamur, si simplici corde & ad fidei testificationem benè agamus, siq; sub potenti Dei manu nos humiliemus & constantiam petamus, tunc nullum reprobationis periculum subesse poterit.

Dominica Sexagesimæ,

Evangelium, Luc. 8.

Quoniam autem turba plurima conveniret, & ex singulis civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. Exiit qui sementem faciebat, ad seminandum semen suum. Et inter seminandum aliud cecidit circa viam, & concutatum est, & volucres cœli comedenterunt illud. Et aliud